Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

nostris que deo sint digna promamus. Sacramentum enim presentis festi oportet in nobis esse perpetuum. quod utique sine fine celebrabitur. si in omnibus actibus nostris dns ihus christus appareat. hec leo. Videsne ergo quam multa nova in nativitate dni concurrerunt que eum verum probaverunt. unde Cris. Omnia itaque nova et stupore modum admirationis humane in dni nativitate concurrerunt. Angelus in templo Zacharie loquitur. futurum Elizabeth filium repromittit. non credens angelo sacerdos obmutescit. Sterilis concipit. virgo parit. Johannes in utero exultat matris. Christus dns natus ab angelo nunciatur. et quod salus mundi sit pastoribus predicatur. Gaudent angeli. exultant pastores. magna in celo et in terra letitia. huius admirande nativitatis exoritur. Novum signum stelle de celo magis ostenditur. per quod dns celi ac terre rex iudeorum nosci manifestatur. hec Cris.

Oratio

Ihesu bone qui de oriente natus tempore magos stella duce revelasti et eos per aliam viam in regione suam redire fecisti. illumina ihesu interiores tenebras gratie tue tenebras consistere mee. et per tuam letam apparitionem da in plenam tui et mei cognitionem ut intus te videam. intus te inveniam. ibique amorem compunctionis munere. thus orationis devote. aurum dilectionis pie tue maiestati offeram. et qui per viam tenebrarum et elpe recessi a patria felicitatis superne. per viam veritatis et gratie ad eam redeam. te duce. Amen.

De purificatione dni in templo. capitulum XVI

Advenerunt autem XL dies quibus secundum legem impleti sunt dies purgationis marie. venit ergo de stabulo cum Joseph et puero ut legem impleret. nichil purgandum erat quia sine peccato conceperat in incarnatione. Cum purgatur puer ab originali. quod a parentibus contraxerat in circumcisione. vero purgatur mater a peccato. quia in libidine conceperat. sed nichil horum in puero vel matre erat. Et tulerunt puerum VI miliaribus de bethleem in ihrlm. ut secundum legem sisterent et offerrent. seu offerendo presentarent eum dno in templo. et ut darent hostiam. scilicet par turturum aut duos pullos columbarum pro eo. Ad evidentiam huius sciendum quod de prole nata duplex erat preceptum. unum generale quantum ad omnes. ut scilicet completis diebus purgationis matris. puer ad templum deferretur et pro eo hostia daretur. Lex autem purificationis erat quod mulier que suscepto semine. concepisset masculum immunda esset VII diebus. separata a consortio hominum et ab ingressu templi. et a tactu sacrorum. et die octavo circumcideretur infantulus et ipsa munda quidem efficeretur. quo ad consortium hominum. Sed adhuc XXX diebus tribus cum septem precedentibus immunda esset quo ad ingressum templi. et tactu sacrorum. et hiis diebus non licuit egredi domum. Completis XXX diebus cum septem precedentibus et tunc quadragesima die mulier intrabat templum. et presentabat natum puerum dno offerens sacrificia pro se et pro puero. Si autem feminam peperisset duplicabantur dies quo ad consortia hominum. et quo ad templi ingressum. Aliud preceptum speciale erat de primogenitis. tam in hominibus quam in iumentis ut sancta dno fierent. quia dno consecrata erant. Ex eo namque tempore quo primogenita egiptiorum dns interfecit. filios israel salvans omnia primogenita filiorum israel sibi vendicavit. sibique offerri precepit. Sicut enim voluit sibi offerri primicias fructuum. ita et primogenita hominum et aliorum animalium mundorum. Sed quare hoc. cum sicut omnia